

Confessio in Ecclesijs apud nos non est abolita,
Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea ex-
ploratis & absolutis. Et docetur populus diligentissi-
me de fide absolutionis, de qua ante hæc tempora
magnum erat silentium. Docentur homines vt abso-
lutionem plurimi faciant, quia sit vox Dei & manda-
to Dei pronuncietur. Ornatur potestas clauium &
comemoratur quantã consolationem afferat perter-
refactis conscientijs, & quod requirat Deus fidem, vt
illi absolutioni tanq̃ voci de cœlo sonanti credamus,
& quod illa fides vere consequatur, & accipiat remis-
sionem peccatorum. Antea immodice extollebant
satisfactiones, fidei & meriti Christi, ac iusticiæ fidei
nulla fiebat mentio, quare in hac parte minime sunt
culpandæ Ecclesiæ nostræ. Nam hoc etiam aduersarij
tribuere nobis coguntur, quod doctrina de poeniten-
tia diligentissime à nostris tractata ac patefacta sit.

Sed de confessione docent, quod enumeratio de-
lictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ consci-
entiæ cura enumerandi omnia delicta, quia impossi-
bile est omnia delicta recitare, Vt testatur Psalmus,
Delicta quis intelligit: Item Ieremias, Prauum est cor
hominis & inscrutabile. Quod si nulla peccata nisi re-
citata remitterentur, nunq̃ adquiescere conscientia
possent, quia plurima peccata neq̃ vident neq̃ memi-
nisse possunt. Testatur & veteres scriptores enume-
rationem non esse necessariam. Nam in Decretis ci-
tatur Chrysostomus, qui sic ait, Non tibi dico vt te
prodas in publicum, neq̃ apud alios te accuses, sed
obedire te volo prophetæ dicenti, Reuela ante De-
um viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud De-
um, verum